

**Disputatio medica, inauguralis, de apoplexia ... / Eruditorum examini  
subjicit Bernardus Campbell.**

**Contributors**

Campbell, Bernard, active 1805.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1805.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rn33j7ty>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURÁLIS

DE

APOPLEXIA,

---

DEPUTATIO MEDICA

IN

APORLEXIA

DEPUTATIO MEDICA

IN

APORLEXIA

DEPUTATIO MEDICA

IN

DEPUTATIO MEDICA

IN

APORLEXIA

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

UMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

BERNARDUS CAMPBELL,

HIBERNUS.

---

*Officium medici circa hominem ægrum est sanare :—sanatio au-  
tem ægri, est morbi, quo tenetur, in sanitatem mutatio.*

GAUBII *Patholog.*

---

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

---

1805.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA

QUA

TRACTATUS

EX AUCTORITATE REVERENDI PATRIS

J. GEORGI HAHN D. S. T. P.

ACADEMIAE MEDICAE HALLENSI

HALENSIS

UNIVERSITATIS ALBERTINAE HALLENSI

UNIVERSITATIS ALBERTINAE HALLENSI

PRO DOCTORE

PRO DOCTORE

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

BERNARDUS CAMPER

HALENSIS

HALENSIS

HALENSIS

HALENSIS

HALENSIS

EDINBURGI

EXCUBANT ANIMAE VELLE ET TONITRUM

1788

FRATRI SUO  
OPTIMO ATQUE DILECTISSIMO,  
JOANNI AUGUSTO CAMPBELL,  
LEGIONIS 58<sup>ve</sup>  
CHIRURGO ;

OB  
SUMMAM DILIGENTIAM,  
QUA,  
BONIS DISCIPLINIS MORIBUSQUE,  
SE SEMPER INSTITUENDUM  
CURAVIT :  
HASCE STUDIORUM  
IN MEDENDI SCIENTIA  
PRIMITIAS,  
AMORIS  
ANIMIQUE GRATI SEMPITERNI  
TESTIMONIUM PEREXIGUUM  
EA, QUA DECET, PIETATE ET AMICITIA,  
DICAT, DEDICAT, CONSECRATQUE  
FRATER AMICISSIMUS  
BERNARDUS CAMPBELL.

TRATTI SUO

OPTIMO ATQUE DILECTISSIMO

JOANNI AUGUSTO CAMPBELL

LECTIO

DE CHIRURGIA

SUBMANU DILECTISSIMO

QUI

SCIENTIAM DISCIPLINAM MORIBUSQUE

PERITISSIMUS

COMPLURIMIS

REVERENTISSIMIS

IN ACADEMIA SCIENTIARUM

PRÆSIDI

AMICIS

AMICIS ET DISCIPULIS

REVERENTISSIMIS

ET QUAE OPTIMO, TRISTE ET AMERUM

MIHI

TRISTE AMERUM

IN ANIMIS

NECNON,  
PATRUO SUO  
OPTIMO ET SPECTATISSIMO,  
ARTHURO CAMPBELL,  
EX COMITATU ET OPPIDO *LONGFORDENSI*,  
ARMIGERO,  
ANIMI INTEGRITATE,  
MORUM SUAVITATE, ALIISQUE VIRTUTIBUS  
QUÆ VIRUM ORNARE POSSUNT,  
IMPRIMIS CONSPICUO,  
PROPTER  
PLURIMA ET UTILISSIMA BENEFICIA  
IN SE ET FRATRES SUOS  
COLLATA ;  
HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
QUALEMCUNQUE,  
AMICITIÆ ANIMIQUE PLURIMUM DEVINCTI  
MONUMENTUM PERLEVE,  
DEDICAT  
B. CAMPBELL.



NEW YORK,

PUBLISHED BY J. CAMPBELL,

107 NASSAU ST. N.Y.

ARTHUR O'CONNOR,

OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA,

AMERICAN

AMERICAN INSTITUTE

OF SCIENCE AND ARTS,

OF THE CITY OF NEW YORK,

PRESENTS

THE

PROCEEDINGS OF THE

COMMISSIONERS OF THE

LAND OFFICE,

IN CONNECTION WITH THE

PROCEEDINGS OF THE

COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE,

IN CONNECTION WITH THE

PROCEEDINGS OF THE

COMMISSIONERS OF THE

LAND OFFICE, IN CONNECTION WITH THE

PROCEEDINGS OF THE

COMMISSIONERS OF THE

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

A P O P L E X I A.

---

HISTORIA MORBI.

**H**IC morbus variè a variis auctoribus nuncupatur ; veluti, *Ictus sanguinis, Morbus attonitus, Nervorum resolutio, Sideratio, Percussio*, Græcè *Αποπληξια*. Hæc omnia nomina subitum et sæpè improvisum morbi impetum designant ; nam qui hoc malo correpti sunt, quasi fulmine percussi, improvise concidunt et resolvuntur : hinc adstantes,

A

naturæ

naturæ mali ignari, prostratos humi *sideratos* esse existimabant. CULLENUS illustrissimus hunc morbum in Classe *Neurosium*, Ordineque *Comatum* ponit, et sic breviter definit: “ Motus voluntarii ferè omnes imminuti, “ cum sopore plùs minùs profundo, super- “ stite motu cordis et arteriarum \*.”

Apoplexia, ob diversas mutabilesque quas induit formas, multis obscuris vixque explicabilibus difficultatibus premitur; modò subitò et quasi fulmine tactus prosternitur æger, modò cum signis paralyseos plùs minùsve generalis, sensim et pedetentim obrepit. Varia symptomata graviora, accessionem insecuturam indicantia, plerumque prægrediuntur; qualia sunt, torpor, hebetudo, languor, lassitudo, sopor, animi tarditas, subindè vertigo, dolor capitis, somnolentia, epistaxis, &c. Hæc indicia sæpè sæpiùs subitum impetum præsa- giunt, verùm haud rarò per menses nonnullos imò annos ante paroxysmum apparent. Pulsus validiores, frequentiores velocioreque evadunt,

---

\* Synops. Nosolog. Method. gen. xlii.

dunt, sudores super frontem profluunt, tinnitus aurium, et interdum fugax audiendi depravatio, gravitas, vel absentia, adsunt.

Visus quoque obtusus, depravatus, nunc duplex, nunc confusus, fermè evanescit, non vitris oculariis restaurandus; aliàs muscæ volitantes, fulgores, scintillæ, circuli flammei, ex oculis dimanant; aliàs macularum nigrarum, vel diversorum colorum simulacra, conspiciuntur. Gustus et olfactus nonnunquam vitiantur, aut omninò abolentur, adeò ut suavissima aut acerrima et rancidissima non percipiuntur: Doctissimus GREGORIUS, hos sensus depravatos, tumore vel carbunculo super collum orto, redintegrari testatur.

Haud rarè aliquas corporis partes, artum unum, veluti pedem, brachium, digitum, palpebras aut linguam, resolutas, vel paralyticas, quasi paroxysmi prodromos, conspiciamus.

Memoria, quamvis antehac tenacissima et validissima, ingravescente morbo, depravatur, ita ut de rebus judicare, eas in memoriam revocare, ibique detinere, contemplari, ordine

ordine olim illis proprio, aut more aliis solito, nequeant. Aliàs memoria mirabiliter alienatur, fermè incredibile dictu, rerum reminiscendi facultatem ex integro corruptam esse, nominum harum ipsarum rerum sanam inviolatamque manere. Noster celeberrimus Professor antea nominatus, hoc prodigium multis pulcherrimis exemplis illustrat: narrat, mulierem rerum nomina apprimè reminiscentem, ex mente prorsùs effluxisse, se filioli sui matrem fuisse: alium, jentaculi sumpti oblitum esse: alium, memoriâ rerum sanâ integrâque, de earum nominibus maximè ordinariis incertum hæere, et semetipsum conatibus variis ad ea revocanda exprimendaque defatigare: porrò, mentis depravatio et paralysis nonnunquam alternare observantur, adeò ut altera superveniens alteram removet.

Ingruente autem paroxysmo, symptomata præfata ingravescent; auditus deletus, confusus aut nullus est; oculi turgent, caligant, madent, et lachrymas effundunt; incubus constanter molestat; querelæ terrificæ et insomnia formidolosissima vexant: Lingua balbutit, mussitat, sonos non intelligendos aut nullos edit;

edit; extremitates inferiores debiles eveniunt, æger ulterius pedibus insistere non valens, ad alterum latus vergit, ociùs aut seriùs, sensûs motûsque expers, lapsurus; collum, faciesque tumescunt, nigrescunt, aliquando plùs minùsve sanguinis e naribus erumpit; nausea et vomitus aliquoties urgent.

Paucioribus vel pluribus horum symptomatum præeuntibus, paroxysmus immaniter invadit, inter quem incipiendum, progrediendum terminandumque, quædam aut omnia symptomata prædicta graviora fiunt.

Sopor nonnunquam, imò potiùs semper, profundus adest. Sensus externi, licèt stimulis acerrimis admotis, prorsùs impares functionibus peragendis manent; musculi potentissimos stimulos parùm agnoscunt. Attamen hoc non est perpetuum: dantur enim exempla, in quibus musculi stimulis afficiuntur; in quibus ægri omnibus fermè sensibus gaudent; modò musculi totius vel unius lateris faciei resolvuntur; lingua, quando exseritur, versus latus affectum pellitur. Oculi semiaperti turgidi, sæpè hærent, aliàs strabismo enormiter

enormiter divelluntur. Color faciei magno-  
perè variatur, nunc purpureus, nunc niger et  
obscurus, sæpè naturam non deserens. Spiri-  
tus plerumque difficilis et abnormis est.

Sæpè corpus convulsionibus generalibus,  
sæpiùs partialibus, aliquando nullis aut levis-  
simis, et musculos paucos tantùm afficienti-  
bus, agitur : multis in exemplis, alterum cor-  
poris latus convulsionibus laborans, alterum  
paralysi miserabiliter inutile redditur.

Pulsus arteriarum admodum inordinati mu-  
tabilesque observantur : ineunte paroxysmo,  
frequentiores, fortiores ; provec̄toque, debilio-  
res, tardiores, nonnunquam intermittentes ;  
versus finem, auctâ pressurâ brevi iterum vi-  
gent, et ad ingentem frequentiam, supraque  
normam naturalem ascendunt ; magis adhuc  
et diutiùs, pressurâ auctâ, se iterum magno-  
perè submitunt, usque ad viginti vel nonos  
içtus in horæ minuto, ut aliqui testantur.

Tandem gutture paralysi correpto, devo-  
randi potestas minuitur, vel omninò amittitur ;  
sphincteribus quoque resolutis, urina et fæces,  
propter paralysin vesicæ et intestinorum, mo-

dò retinentur, modò præter voluntatem elabuntur. Nunc omnia in peïora ruunt: morte vitæ arcem obsidente, morboque lethali evasuro, corpus gelidis sudoribus inundatur, os spumis copiosis impletur, sæpè sanguis ex naribus, ore, auribus, aut quà data porta, ruit. Venit summa dies et inevitabile tempus; æger anhelus, desiturus, vitam efflans, in mortis amplexus evanescit.

Hic morbus non tam infaustè aut subitò semper terminatur; vel in stuporem, judicii memoriæque læsiones, hemiplegiam aut statum morti haud absimilem, sæpenumerò desinit. Ego ipse vidi hominem per spatium semestre soporosum et cadaveri simillimum; alvum, licèt medicamentis fortissimis adhibitis, per duos menses ante mortem, non deponerat.

### DIAGNOSIS.

DUÆ hujus morbi sunt species, *sanguinea*, nempè, et *serosa*, neque temperamento, symptomatibus



tomatibus aut ullo alio modo, nisi scalpello anatomico, internoscendæ; communes causas agnoscentes, eandem medendi methodum postulant; causæ prædisponentes et occasionales, prout graviores levioresve, alterutram producere valent.

Speciem serosam *idiopathicam* inter et *symptomaticam*, magnum intercedit discrimen; hæc temperamento leucophlegmatico, faciei pallore aquoso, corporis flacciditate et diathesi hydropticâ, insignis, facilè dignoscitur. Porrò, hic morbus producit ischuriâ renali, quæ discernitur doloribus, suppressione urinæ, et effectus præcavendus curandusque, tantùm morbum primarium summovendo.

A *syncope* distinguitur, quia hæc cordis anxietate et languore inusitato ingruit, pulsus arteriarum et respiratio mirum in modum debilitantur, ut vix percipi, aut adstantibus videri, nequeant; sæpissimè penitè suspènduntur; facies corporisque superficies palescit, frigescit. Desuper in Apoplexia sensus et motus, in Syncope actio cordis et respiratio, primario, afficiuntur.

Hanc

Hanc inter et *hysteriam* diagnosin indicant, lateris dolor et plenitudo, canalis alimentarii perturbatio, globus hystericus, qui circum abdomen fremit, versus ventriculum faucesque ascendit, ibique strangulat, copia urinæ limpidæ paroxysmum præcedens; præterea hoc malum mulieribus peculiare est.

*Epilepsia* ab hoc dijudicatur aurâ epileptica, convulsionibus generalibus, etiamsi unum latus in apoplexia interdum convulsionibus agitatur, unde epilepsiæ suspicio oriri queat; attamen rarissimè tam generales tamque vehementes sunt, quàm epilepsia contingunt; hæc in apoplexiam frequenter desinit, tunc eadem remedia, eandemque curationem, postulat.

#### CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

NATURAM constante, æquabili definitoque rivo, cerebrum fovere, irrigare, maximâ curâ designâsse, non solùm ex conformatione capitis et flexu foraminum, verùm etiam ex

B

vasorum

vasorum cranium ingressorum cursu sinuoso, fabricâ et commercio, constat. Proculdubio provida rerum Parens hanc structuram mirabilem, cursum sanguinis æquabilem et constantem, evolutionem vasorum capitis antè alia, et incrementum cerebri et cranii, pro rata parte, majus maturiusque, non alio consilio designavit, quàm ad necessariam quantitatem sanguinis recipiendam et detinendam; verùm multa variaque hunc ordinem naturæ pulcherrimum et nobilissimum interrumpunt; nimirùm, quæcunque sanguinem nimiâ vi versus caput adigunt, aut ejus regressum impediunt, legibus Naturæ latis haud violandis improbè adversantur, et morbos exitiales, vel ad hos proclivitatem, invitant. Porrò, nonnullæ conditiones hæreditariæ, aut præteritâ vitâ luxuriose actâ, collectæ, corpus morbo opportunius reddunt; hæ ad ætatem provectam occultè delitescunt, tunc temporis debilitate, senectute et luxu progrediente roboratæ, apertè prodeunt, corpus debile, mancum, impar prælio aggrediuntur; sæpè maturis subsidiis repellendæ, sæpiùs indomitæ victores evadunt.

evadunt. Hæ corporis conditiones præcipuæ sunt, ætas ingravescens, caput magnum, collum breve, obesitas, nimia corporis plenitudo, ebrietas frequens, obstipatio continua. Nunc de his ordine pauca dicemus.

*Ætas ingravescens.*—Hic morbus juniores rarissimè invadit, et quamvis res aliter se haberent, generalem legem non infirmaret, ferè semper ætate provectos, istos præsertim, qui sexagesimum annum compleverunt: Hæc ætate enim, et ab initio, arteriæ profundius hærentes, pressurâ partium incumbentium, vi continuâ contrahendi, sanguinemque propellendi, venis densiores, firmiores, evadunt; hæ laxiùs in superficie corporis positæ (quamvis primâ ætate arterias densitate et rigiditate superabant) nunc dilatantur, majore sanguinis copiâ arteriis pro rata parte implentur, et nonnunquam præter naturam distenduntur; itaque aliarum partium musculosarum adinstar, demum paralyti affectæ sunt. Hoc, in capite, aliis partibus faciliùs accidere debet, ubi vasa, pressurâ, a partibus circumdantibus, ad sanguinem promovendum, et  
valvulis

valvulis ad ejus regressum impediendum, carent. Ætate quoque provectiore, machina nostra varias gravesque mutationes subit; nunc mala a juvenili luxu nascentia diu in occulto latentia, insidiosè ingruunt; nunc partes solidæ rigescunt, parva remotioraque a corde vasa concluduntur, sanguine idcirco in vasa interiora magna propulso; plethora ad spatium inducitur: Nunc vires moventes labefactæ, ad machinam sustinendam, vel sanguinem promovendum, vix valentes, ab omni latere dilabuntur. Hic virium moventium defectus clarè indicatur, statu mentis, hæc lætitiæ, temeritati, omnibusque gaudiis juvenilibus, Veneri etiam ipsi, semel gratissimæ, suavissimæ, valedicit; tarda, caliginosa, et valdè provida, evenit. His ritè consideratis, nemo senectutem huic morbo procliviorrem esse dubitabit.

*Caput magnum,*—habitum robustum, plethoricum, majorem fluidorum copiam, plerumque indicat; hac de causa, major copia sanguinis ad caput deferri, et in eo contineri debet; tamen nihil mali inde oritur, dum vasa  
laxa

laxa vi distendenti facilè cedunt; verùm senectute, vasis densioribus factis, periculum timendum et præcavendum est.

*Collum breve.*—Circuitus sanguinis prope cor velocissimus et fortissimus est; idcirco sanguis e corde emissus in cerebrum viciniùs solito positum, inusitatâ vi et velocitate impellitur, et ad vasa infirmanda, cerebrumque vitandum, haud parùm confert; venæ quoque jugulares breviores solito, nec pari ratione dilatandæ, sanguinis plenum et liberum regressum aliquoties retardant; præcipuè inter caput ad unum vel alterum latus, rotandum; area harum magnoperè minuitur, vel prorsùs deletur.

*Obesitas.*—Tela cellulosa, cutem inter et musculos, omentum et renes, sunt præcipuæ adipis sedes. Quando hæc interstitia adipe præter naturam referta sunt, vasa per hanc telam transeuntia, nimiâ adipis abundantia concluduntur. Eâdem causâ, liber cursus sanguinis per vasa visceraque abdominalia, liberque descensus diaphragmatis inter spirandum impeditur: hoc modo fluida ab tota superficie,

superficie, ab toto abdomine, versus interiora adipe experta, nimirum versus pulmones et cerebrum propelluntur. Hinc obesis pulmones laborant; hinc minimâ exercitatione anhelosi evadunt; hinc vasa encephali implentur, distenduntur, rumpuntur.

*Corporis plenitudo nimia*, primaria, et quasi præcipua, morbi causa habenda est. Cæteræ hanc, ad suum effectum producendum, tantum adjuvant; nam hac amotâ, cæteræ ab omni parte dilabuntur, restituta, viribus vix debellandis iterum enixè premunt. Hujus vitii causæ sunt, suppressio omnis generis exinanitionum solitarum, hæmorrhagiæ sive naturalis et spontaneæ, sive artificialis, præsertim hæmorrhoidum; vita sedentaria, diæta lauta, et omnia alia, quæ ad excretiones cohibendas et fluida augenda conferunt. Via, quâ, pleræque harum causarum plenitudinem inducunt, omnibus innotescat. Quando vasa hæmorrhagiâ deplentur, humor reliquus in vasa grandiora retrocedit; tunc parva remotioraque nimirum excernentia constricta fiunt, neque vi distendenti fluidorum nutrimento

indies

indies sumpto restitutorum facilè cedunt; unde fluida dissipanda detinentur: hinc ratio redditur, cur magna jactura sanguinis tam brevi restituenda, sæpè certo tempore reversura, tunc, si suppressa, forsan morbos vitæ infestissimos inductura.

*Ebrietas frequens*, inordinatam sanguinis copiam capiti propellendo, et vasis encephali proclivitatem ad actionem abnormem dando, magnoperè nocet; rubor oculorum et eruptiones super hominum temulentorum faciem, hanc nimiam determinationem ad caput planè ostendunt.

*Obstipatio continua* valdè nociva consideranda est; etenim inter fæces induratas ejiendas, summâ musculari vi et plenâ inspiratione utimur, quo nisu sanguis versus caput colligitur. Hoc modo obstipatio huic morbo homines obnoxios reddit, et obnoxios sæpe numerò citâ morte rapit. Graviditas in eodem modo operatur, et frequenter fœminæ in ipso nixu fœtum enitendi convulsæ pereunt.



## CAUSÆ OCCASIONALES.

MORBUS sæpè improvisò invadit, vel nullâ causâ occasionali admotâ, vel saltem valdè obscurâ et vix percipiendâ. Verùm sæpiùs hæ satis manifestæ sunt, et morbus præcavendus est, tantùm eas evitando. Harum præcipuæ sunt, exercitatio vehemens, animi affectiones, calor externus, crapula, ebrietas; omnis corporis situs cursui sanguinis per arterias favens, ejus reditum per venas impediens; ligaturæ circa collum, cervix subitò vel diu rotata, polypi circa cor: de quibus nunc ordine.

*Exercitatio vehemens.*—Actio musculorum justa ad sanitatem promovendam conservandamque, imprimis necessaria est; attamen quando nimis vehemens sanitati duplici modo improbè adversatur, primò, omni conamine violento, muscoli contrahuntur, vasa subjacentia exprimuntur, et sanguis majore vi et copiâ ad caput dirigitur, quâ vasa liberiora et pressione magis immunia præ omnibus aliis existunt.

tunt. Prætereà, omnem nisum vehementiorem inspiratio plenior et longiore temporis intervallo iterata comitatur, quæ non solùm sanguinis cursui per pulmones obstat, sed eundem insigni vi versus caput expellit, et ejus reditum per venas præcludit. Ab hac actione vehementiore effusiones sanguinis nonnunquam e naribus et vasculis faciei eveniunt. Haud absimile videtur, effusiones similes intra cranium aliquoties accidere. Omnes pulmonum nisus, loquela fortior, instrumentorum musicorum inflatus, tussis, sternutatio, oscitatio, risus, fletus, aliquando apoplexiam excitant; nam omnibus his causis motus sanguinis præter solitum intenditur, transitus per pulmones et regressus a capite impeditur.

*Animi affectiones.*—His, præcipuè excitantibus dictis, nempe, irâ, gaudio, libidine, non solùm hic morbus sed insania vel inevitabilis mors aliquando inducitur. Omnes hæ, præsertim ira, genus nervosum et vasculosum præter naturam pariter stimulant. Collum et facies rubescunt, tumescunt, et similes inordinatæ determinationes internè expectandæ sunt.

*Calor externus*,—utrum a turba hominum, balneo tepido, vel quocunque alio fonte oritur, quando in excessu, non solùm huic morbo obnoxiiis sed vel sanissimis magnoperè nocet, fluida rarefacit, totum corpus stimulat, somnum profundum allicit; hinc status apoplexiæ haud absimilis, sedentibus coram splendido foco obrepit: nec morbo proclives, et qui habitu plethorico sunt, sine summo periculo calori etiam modico objiciuntur: balneum tepidum imprimis obest, igitur cautissimè evitandum; plurimi enim dum immersi, morbo correpti, subitò corruerunt.

*Crapula*.—Quando stomachus nimio cibo impletur, aortam descendentem premit, itaque circuitum sanguinis per abdomen et pulmones quoque, eorum liberum descensum impediendo, pròhibet: insuper, post cibum imprimis ex carnibus, motus sanguinis intenditur, torpor et somnolentia ingruunt; nec desunt exempla plurima helluonum, pleno et benè referto stomacho, huic mundo valedicentium.

*Ebrietas*.—Hanc, inter causas prædisponentes enumeravimus; inter excitantes etiam haud immeritò

immeritò enumeranda: in minori gradu, hunc morbum frequentissimè excitat; verùm in excessu, vitam subitò sæpè extinguit, et quædam apoplexiæ species existimanda est, quæ, vim et mobilitatem nervorum amovendo, congestionem et effusionem in capite favet. Memoriæ defectus, qualis dementibus contingit, extremitatum et linguæ paralysis, sensuum externorum depravatio, et status totius corporis soporosus, cadaveri similis, hoc satis superque docent.

Omnis corporis situs cursui sanguinis per arterias favens, ejus reditum per venas impediens, studiosè evitandus est: imprimis capitis longa inclinatio, vel decubitus cum capite humili, maximè officiunt. Hoc situ, caput dolore, facies tumore, rubore, oculi effusione, lachrymarum, mens sæpè atrâ oblivione, afficiuntur: nec sanissimi inclinationem capitis impunè longè tolerare possunt.

*Ligaturæ circa collum,*—venas in superficie arteriis laxiores hærentes comprimendo, regressum sanguinis liberum impediendo, actionem arteriarum, propter occlusum venosum aditum,

aditum, augendo, multùm nocent. Cervicis rotatio minimè negligenda est : quò crassior et brevior cervix et perfectior rotatur, eò majus periculum timendum.

*Polypi circa cor.*—Hæ concretiones sanitati et vitæ infestissimæ, post mortem circa cor et partes vicinas, formâ et magnitudine variæ, reperiuntur ; et viam, sine ulla prædispositione hæreditaria vel acquisita, variis capitis aliarumque partium morbis, præcipuè apoplexiæ, sternunt.

### CAUSA PROXIMA.

CERTAM sensorii nervorumque conditionem quâ, vires, a quibus motus sensusque pendent, multùm imminuuntur, vel prorsùs abolentur, proximam hujus morbi causam esse, omnes consentiunt. Hæc morbosa conditio duplici in modo produci queat : compressione cerebro, nervorum origini, præter naturam, illata ; vel viribus sedantibus corpori admotis.

Cerebri pressura, apoplexiam gignens, variis in modis producitur :

1. Vi externâ, cranii partem frangente et deprimente.

2. Tumoribus, mollibus, aut duris et osseis, intra cranium generatis.

3. Accumulatione sanguinis in vasis cerebri.

4. Sanguinis vel seri effusione intra cranium, vel in diversis partibus cerebri.

De duabus posterioribus causis tantùm tractabimus, priores duas chirurgo relinquentes.

Inter pathologos nuperrimè disputatum est, de modo, quo hæ causæ apoplexiam proximè gignunt: nonnulli cerebrum, talem humorum accumulationem pati, vel comprimi posse negant, dum substantia cerebri sana, dum cranii parietes immoti, manent. Alii, ex consideratione lædentium et adjuvantium, eorundemque modi operandi, ex syncopes causis et curatione, ex sectionibus MORGAGNI aliorumque, denique ex methodo excitandi mendendique apoplexiam, paralysin, epilepsiam et maniam, longè aliter sentiunt. Multæ vires  
sedantes

sedantes et venena narcotica existunt, quæ parvâ quantitate corpori admota, vel in idem recepta, proximam apoplexiæ causam et sæpè mortem inevitabilem inducunt. Hujusmodi sunt opium, alcohol, hyoscyamus niger, et multa alia vegetabilia venena; vapores mephitici, gas acidum carbonicum, vapores hydrargyri, plumbum, aliaque metallica venena; quibus, vires frigoris sedantes, cerebri concussiones, ictus electrici, et quidem animi affectus, imprimis pathemata deprimentia, annumerari possunt. Varii venenorum operationem variè explicare conati sunt; sed quomodo in cerebrum, vel nervos agunt, quas mutationes in corpore gignunt, me prorsùs ignorare, libenter fateor; et eò magis agnosco, quoniam ingenii tenuitas, aliter agere vel iter non satis exploratum temerè ingredi, omninò vetabat: etenim multa experimenta et observationes ad nostram caliginem fugandam, ad veram theoriam, tam de his, quàm de aliis rebus, ad proximas causas spectantibus, fundandam, adhuc desunt; et reverà multæ corporis vivi actiones, vix experimentis

perimentis aut ratiocinio cognoscendæ sunt. Liceat mihi gravissimi verba auctoris hac de re citare et transcribere. “ Causam ve-  
“ rò proximam quod attinet, ipsa ejus notio  
“ generalis, si non prorsùs falsa, saltem con-  
“ fusa admodum est, et obscura, et temerè a  
“ rebus abstracta.” Et aliàs: “ Morbus enim  
“ non est unus et simplex eventus vel muta-  
“ tio, qualem in rebus inanimatis contempla-  
“ ri solemus, et *effectum* vocare; sed series,  
“ sæpè longa, talium eventuum vel muta-  
“ tionum; quorum aliæ aliis causæ videntur  
“ esse.” Et alibi de eadem re loquens: “ In-  
“ est enim corpori vivo principium aliquod  
“ mutationis, simile quodammodo illi quod in  
“ herbis observatur, et longè alienum a natu-  
“ ra materiæ inanimatæ ægrè definiendum,  
“ nondum ea qua par est diligentia et accura-  
“ tione exploratum, *vitale principium* haud  
“ ineptè nominandum, cui vix minùs quàm  
“ causis vulgò observatis tribuendæ sunt  
“ plurimæ mutationes, tam morbosæ quàm  
“ salutare, quæ corpori contingunt\*.”

PRO-

---

\* GREGORY, *Conspectus*, vol. i. pag. 27.



## PROGNOSIS.

HÆC, theoriâ expers, cui parùm fidendum est, experientiâ et observatione, optimis ducibus, innititur. Etiam si verum est, Opificem rerum providum, visibus nostris multas res negâsse, prognosin veram et certam sibi servâsse, cui soli sine errore prævidenda est, et nostram semper lubricam, et erroribus obnoxiam esse. Veruntamen æquè certum est, eum mentem humanam divinâ arte ita fabricâsse et instruxisse, ut illa a circumstantiis et rebus præteritis benè contemplatis, in morbis non secùs ac in aliis rebus, conclusiones sibi utilissimas ducat, et futura secunda aut adversa frequentissimè ad amussim prædicat; reverà nobilis facultas, quâ pericula minitantiâ removentur, et omnia necessaria tempestivè suppeditantur. Hic morbus rarissimè sanatur; etenim quamvis primus impetus repellitur, tamen proclivitas mala seriùs aut ociùs lethalis evasura, relinquitur. Eventus prævidendus

duſ est ex conſideratione ſymptomatum antecedentium, cauſarum prædiſponentium et excitantium, ex duratione et violentia paroxyſmi, et ex effectu remediorum ; quò junior æger, quò minus vires luxu fractæ, quò mitiora ſymptomata, minor prædiſpoſitio, brevior et mitior paroxyſmus, utilior effectus remediorum, et minùs obtunduntur ſenſus ; eò major ſpes expectanda eſt. E contra, ſi æger ætate proſectior, ſi ſenio et luxuriâ labefactus, ſi prædiſpoſitio fortior, paroxyſmus formidoloſior, et effectus remediorum parvus aut nullus, ſpes noſtra lubrica conſideranda eſt : quò plùs ſenſus obtunduntur, motus minuitur, reſpiratio laboroſior et difficiliſ evadit, eò magis periculum imminet : quando ſudor frigidus ſuper corpus erumpit ; quando ſphincteres ani et veſicæ reſolvuntur, et guttur paralyſi afficitur, nunc de ægroto conſeclamatum eſt.

D

RATIO

## RATIO MEDENDI.

DUÆ indicationes in hoc morbo semper proponuntur:

1mò, Morbo minitanti occurrere.

2dò, Paroxysmum præsentem tollere.

*PRIMA INDICATIO*, linguâ medicorum, *PROPHYLAXIS* nuncupatur, optima et efficacissima curationis pars existimanda, in apoplecticis tractandis semper summâ industriâ colenda: Vasa enim semel rupta aut distensa, et tono suo orbata, faciliùs postea impulsui graviori cessura sunt, et proclivitatem malam, debilem, vix depellendam adipiscuntur. Maximi momenti est, ad morbum præcavendum, causas occasionales benè scire, perpendere et evitare, quarum complures suprâ enumeravimus: Omnes res, functiones vitales, animales vel naturales, turbantes evitandæ: Omnes res præter naturam in corpore ipso observandæ,

observandæ, vel sensibus nostris, vel quærelis ægroti detegendæ, removendæ sunt; imprimis prædispositio, quæ plerumque ex statu plethorico pendet, tollenda vel saltem corrigenda est. Hic finis absolvitur, sanguinis detractiōne, medicamentis catharticiis, setaceis et fonticulis, diætâ parcâ, et exercitâ-tione.

Nullum, in exemplis gravioribus, remedium, sanguinis detractiōni anteponendum, cujus tempestivo usu vasa perfectissimè deplentur, nimia plethora, et paroxysmus inde insecuturus, statim amovetur: tamen hæc in exemplis gravioribus tantùm utenda; nam corpus debile, laxum, reditui morbi et plethoræ obnoxium reddit: in casibus levioribus, ubi vita non tam magnoperè periclitatur, vel quando de sanguinis detractiōne accipites hæremus, hirudines temporibus admotæ, vel occipitis scarificationes, nostro consilio respondebunt.

*Cathartica* in hac parte prophylaxeos merito recensentur: peculiari potestate sanguinis cursum a capite avertendi gaudent: sed

ex his, quæ *laxantia* dicuntur sola admittenda: acriora vel drastica, sanguinis circuitum accelerando, totumque corpus stimulando, multum nocent. Igitur, nisi alvi depletio valdè desideratur, ad paroxysmum minitantes arcendum, nunquam adhibenda sunt, et tunc etiam in portionibus parvis sæpè iteratis, ne vomitus moveatur. Ut alvus laxior retineatur, aquæ laxantes minerales, durante æstate, intra fines præscribendæ; nimiâ evacuatione, quâ corpus labefactatur, semper evitandâ.

*Setaceæ et fonticuli* alicui capitis parti admotæ, ad plethoram minuendam, et determinationem a capite avertendam, multum prodesse videntur. Usus earum antiquis ipsis haud ignotus, sed hodiernis familiarissimus; quarum ope multos morbos capitis sanant, et ex testimonio medicorum haud parvi nominis, levamen summum ex iis expectandum est. Tonsura capitis, aëra frigidum, et lavationem aquâ frigidâ admittendo, apoplexiæ obviam ire pollicetur.

*Dieta*

*Diæta opipara* omnigena, præsertim carnes, condimenta, et aromata stimulantia, quorum usu, corpus nimis stimulatur, nutritur et pinguescit, sedulò vitanda sunt: cibus ex frugibus conflatus, corpus neque nimis nutriens aut nimis debilitans, tantùm concedi debet. A potu meraciore, vino et liquoribus spirituosis, abstinendum est.

*Ebrietas*, minimo gradu, infanda mala apoplecticis procreat, et magis quàm mors fuganda est: at cerevisia tenuis, pro potu communi, sicut alvum leniter laxans, aquæ, alvum astringenti, anteponenda videtur. Hæc, ætate provectioribus, diætæ lautæ et potui meraciori assuetis, nimis rigidè, minimè præcipienda; enim solitus stimulus e corpore detrahi, sine magno incommodo nequit; cujus detractiōne, vires moventes sopiuntur, circulatio languida evadit, et omnia alia mala nascuntur. Itaque in hujusmodi casibus, cibus ex carnibus compositus cautiùs et parciùs sumendus est, quia tali cibo corpus pinguescit et stimulatur: cœnæ ex his paratæ omninò prohibendæ; nimia vel modica ventriculi repletio, corpore erecto

erecto et tempore vigiliæ, huic morbo obnoxiiis magnoperè nocet; igitur omnibus constabit, horâ somni, propter situm corporis, talem repletionem pejorem et magis lethalem futuram. Meri pauxillum, huic quotidie assuetis, ad vim vitæ sustinendam, cautè concedi debet: neque profectò melius aut certius datur remedium, quàm temperantia, ad morbum fugandum; his luxuriæ deditis difficillima, verùm bonâ et firmâ indole, indies facilior, donec tandem, valetudine convalescente, gratissima evenit.

*Somni excessus* quoque vitandus est; corpus crassum, torpidum reddit; excretiones et secretiones imminuit; unde plethora, obesitas, impotentia, et innumera alia mala originem ducunt; prætereà somnus cum capite humili, et multis ponderosis stragulis, imprimis obest.

*Nicotiana*, quæ, vi ejus narcoticâ, totum corpus laxat, debilitat, et circulationem tardat, minimè usurpanda est, saltem parcâ manu permittenda, et iis tantùm qui eâ per longum tempus utebantur; ne suppressio evacuationis solitæ, sanitati adversissima esset, cavendum

dum est, ne sternutationem moveat, quæ semper multum officit.

*Exercitatio*, ad fluida versus superficiem revocanda, secretiones et excretiones promovendas, obesitatem et plethoram minuendas, utilissima et efficacissima videtur; in excessu, verò, malum est, et lethalia mala sæpissimè producit; corporis calorem intendit, respirationem accelerat; hâc ratione haud rarò causa morbi excitans existit; ideòque obesioribus, ætate provectis, morboque valdè obnoxiiis, minimè convenit: his gestatio in rheda vel equo usurpanda, quâ viribus nactis et roboratis, ad conamina majora utilioraque suscipienda, aptiores fiunt: donec tandem ambulare, et semetipsos sub dio exercere, valeant. *Exercitatio* debet esse crebra, de tempore in tempus intermissa, talis, qualis recreat, non debilitat; quæ sapienter usurpata, et satis diu continuata tandem effectum optatum efficiet.

*SECUNDA INDICATIO*,—*Paroxysmum præsentem tollere.*

Paroxysmo astante ægro situ erecto posito,



to, ejus vestes sine mora exuendæ, fenestræ et ostia aperienda sunt. Cavendum simul ne æger circumdetur turbâ hominum, quâ aër calefacietur, unde periculum augetur.

*Sanguinis detractio*, veluti præstantissimum et utilissimum auxilium præbens, statim utenda est. Sanguis ex duabus venis jugularibus, vel ex arteriis temporalibus, vel denique ex quavis corporis vena, quæ faciliùs incidi potest, mitti debet. Verùm incisione venarum jugularium major copia citiùs effunditur, vasa encephali meliùs et efficaciùs deplentur, ideò levamen promptiùs acquiritur. Hæ enim venæ omnem sanguinem a capite reducunt, et eundem effundere faciliùs et promptiùs quàm remotiores ramuli possunt. Sanguis primâ vice, largè et copiosè educendus est: Nam parvæ et repetitæ detractiões non tantùm valent.

Sanguinis missio topica, eodem tempore minimè omittenda est; hæc hirudinibus, scarificatione, et cucurbitulis cruentis, efficitur; verùm hirudines sanguinem tardiùs detrahentes, scarificationi postponendæ sunt. Haud  
 silentio

silentio prætereundum est, uno latere magis quàm altero laborante, detractionem è latere sano magis idoneam, magisque profuturam esse.

*Cathartica medicamenta*, stomachum et intestina deplendo, magnam fluidorum quantitatem ex his eliciendo, et revulsionem a capite faciendo, proculdubio multùm prosunt; et semper cum detractione sanguinis conjungi debent; at si devorandi facultas non supersit, enemata fortiora injicienda sunt; etiam in hoc statu corporis torpido, validissima sine periculo vomitum ciendi adhiberi possunt.

*Vesicatoria* magnâ vi proclivitatem ad hæmorrhagiam tollendi, cursum sanguinis a partibus internis versus externas dirigendi, polent; igitur maximo commodo alicui capitis parti, imponi possunt.

*Emetica* in hoc stadio morbi minimè idonea videntur; etsi plurimi ea jubent ad stomachum nimio cibo gravatum evacuandum: sed vix bonâ ratione; reverà hic finis meliùs et multò tutiùs absolvitur, medicamentis catharticis. Actione vomendi, motus sanguinis

E

ultra

ultra modum versus caput intenditur, et ejus regressus impeditâ respiratione retardatur. Sufflatio vasorum colli, sanguinea suffusio faciei, effusio lachrymarum ex oculis, profluvium sanguinis nonnunquam ex naribus, vertigo, comes, et effectus talis actionis abnormis, hanc sententiam confirmant.

Quando apoplexia ex diatesi hydropicâ oritur, semper medicamentis catharticis, diureticis et vesicatoriis, sananda est.

Quando hic morbus producitur vapore carbonum, halitibus mephiticis vel narcoticis, alio modo tractandus est. Æger in aëra liberum, frigidum, statim deferatur; totum corpus aquâ frigidâ aspergatur, vel potius lavetur: his remediis deficientibus, primò injectiones validiores et detractio sanguinis, postea stimulantia fortiora, usurpentur. Si venena narcotica in ventriculum recepta sint, et vomitus sponte supervenit, promovendus est; sin minùs, drachmâ dimidiâ sulphatis zinci in aqua solutâ provocetur; verùm si effectus nocivi adsunt, antequam vomitus excitari potest, tunc emetica inutilia et lethifera

fera forent, itaque primò enemata acerrima et detractio sanguinis, ad accumulationem fluidorum in capite vel pulmonibus removendam adhibeantur; postea ad stimulantia, diluentia, corrigentia, præcipuè ad acida vegetabilia, confugiendum est. In alterutro casu, aliis remediis sæpè æger exsuscitari potest, etiamsi nulla vitæ signa adsunt, imprimis calorem corporis naturalem revocando: ad hunc finem obtinendum, totum corpus, capite excepto, in balneum calidum immergendum, et ibi diu detinendum est: pulmones aëre per nares vel os implendi sunt. Hic aër ad respirationem imitandam, per longum tempus, vicissim inflari et exprimi debet. Interea, injectiones acerrimæ, frictiones validissimæ, et electricitas, circa cor, sub forma succussionum modicarum, usurpandæ, stimulantia volatilia et spirituosissima calida in stomachum infundantur, et variis partibus externis, præcipuè naribus, admoveantur; verùm hæc medicamenta stimulantia, præsertim internè, tantùm parvis portionibus sæpè iteratis, adhibenda, ne scintilla vitæ relictae exhausta

hausta esset. His remediis animosè et constanter adhibitis, mortui per horas vel diem, frequenter ad vitam revocantur. Semper in soporosis exsuscitandis, a nicotianâ sub quâvis formâ, sicut vitæ adversissimâ, cautissimè abstinendum est.

